

10 peruenit. Is et ipse Alpinus amnis longe omnium Galliae
 fluminum difficillimus transitu est; nam cum aquae uim
 11 uehat ingentem, non tamen nauium patiens est, quia nullis
 coercitus ripis, pluribus simul neque iisdem alueis fluens,
 noua semper ⟨per⟩ uada nouosque gurgites—et ob eadem
 pediti quoque incerta uia est—ad hoc saxa glareosa uoluens,
 12 nihil stabile nec tutum ingredienti praebet; et tum forte
 imbribus auctus ingentem transgredientibus tumultum fecit,
 cum super cetera trepidatione ipsi sua atque incertis clamori-
 bus turbarentur.

32 P. Cornelius consul, triduo fere postquam Hannibal a ripa
 Rhodani mouit, quadrato agmine ad castra hostium uenerat,
 2 nullam dimicandi moram facturus; ceterum ubi deserta
 munimenta nec facile se tantum praegressos adsecuturum ui-
 det, ad mare ac naues rediit, tutius faciliusque ita descendenti
 3 ab Alpibus Hannibali occursurus. Ne tamen nuda auxiliis
 Romanis Hispania esset, quam prouinciam sortitus erat,
 Cn. Scipionem fratrem cum maxima parte copiarum aduersus
 4 Hasdrubalem misit, non ad tuendos tantummodo ueteres
 socios conciliandosque nouos sed etiam ad pellendum His-
 5 pania Hasdrubalem. Ipse cum admodum exiguis copiis
 Genuam repetit, eo qui circa Padum erat exercitu Italiam
 defensurus.

6 Hannibal ab Druentia campestri maxime itinere ad Alpes
 cum bona pace incolentium ea loca Gallorum peruenit.